



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De
Contractibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDCCXXXIII.

VD18 90392159

Cap. III. De iis qui contrahere possunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40993

cidens, metu ne ab illis occidatur, vel spoliatur, alteri, qui injuriæ non est particeps, promittat pecuniæ summam, ut eum liberet, tenetur promissa complere. Quia tunc metus non est propriè causa contractûs, sed solum occasio; nec contractus est metu extortus: sed cum metus sit ob aliam causam injectus, adhibetur sponte contractus tanquam medium ad illum pellendum. Qui tamen metum illum injustè inculsit, tenetur ad restitutionem damnorum; nam est illorum prima causa, vel saltem occasio injusta, ex c. ult. *de injur.* Idem dic de metu à causa naturali, vel interna orto: nam talis metus citra omnem injuriam provenit, & à nullo alio quis ad contrahendum compellitur nisi à se ipso.

CAPUT III.

De iis, qui contrahere possunt.

Q. I. *Quinam generatim valide possunt contrahere?*

Resp. Si omnes, & soli usu rationis præditi, qui liberam habent bonorum administrationem, seu legitimam facultatem disponendi de illis. Quia cum contractus sit actus humanus, qui solum humano modo, id est, cum advertentia, & libertate fieri debet, requirit rationis usum; & cum sit actus, quo de re aliqua disponitur, requirit in contrahente liberam facultate-

cultatem disponendi. Posito autem libero rationis usu, & jure disponendi non ligato, nihil ultra potest requiri ad facultatem contrahendi.

Hinc non possunt validè contrahere infantes, amentes, ebrii, furiosi, prodigi curatorem habentes, &c.

Q. 2. *An uxor potest contrahere?*

Resp. Uxor non potest contrahere, nec disponere de bonis familiæ, & de dote, ejusque fructibus, marito præsentem, & valentem bona illa administrare rationabiliter invito. Quia quamvis totius dotis, & dimidiæ partis bonorum communium proprietas pertineat ad uxorem, tota tamen administratio bonorum familiæ, & dotis pertinet ad virum utpote caput familiæ, potest autem ipsa disponere de aliis bonis, quæ præter dotem attulit, & sibi reservavit, cum horum habeat, & proprietatem, & administrationem.

Dixi, *Marito præsentem, &c.* Nam si sit absens, si amentis, vel fatuus, tunc uxor bona familiæ dispensare potest. Si item maritus expressè, vel tacitè consentiat in impensas & contractus uxoris; vel sit irrationabiliter invitatus, ut si recusaret ea, quæ sunt necessaria ad suam, & familiæ sustentationem congruentem, potest uxor in his casibus uti bonis familiæ, sed prudenter, & moderatè.

D d 2

Q. 3.

Q. 3. *An Filiusfamilias, pupillus, & minor possunt contrahere?*

Not. 1. Infans est, qui nondum septennium complevit. A septennio usque ad decimum cum dimidio dicitur infantia proximus, si sit mas, vel usque ad nonum cum dimidio, si sit foemina. Pubes est qui habet annum 14. completum si sit mas; vel duodecimum si sit foemina. Ante hanc ætatem dicuntur impuberes. Pubertati proximus censetur masculus à decimo anno cum dimidio usque ad annum 14. completum, & foemina à nono cum dimidio usque ad 12. completum.

Not. 2. Pupillus est impubes, qui desit esse sub potestate patris, propter ejus mortem, vel emancipationem. Minor est pubes, qui annum 25. nondum complevit, quo completo dicitur major.

Not. 3. Constat inter omnes 1. pupillum infantia proximum ne naturaliter quidem obligari ob defectum sufficientis judicii, vel saltem ob periculum talis defectus jura illius contractibus resistunt, omnemque obligationem tollunt, *Instit. de inutil. stipul. 2.* Minorem, qui curatore caret, obligari tum naturaliter, tum civiliter, ex contractu alienationis bonorum mobilium, quæ servando servari non possunt: quia minor curatore carens potest per se solum, quod posset cum consensu curatoris. Sed poterit petere restitutionem in
inte-

integrum, si ex contractu fuerit læsus, l. 3. Cod. de in integ. restit.

Resp. I. Filius familias impubes non obligatur civiliter ex contractu etiam de bonis castrensibus, & cum consensu patris factò, *Instit. de inutil. stipul.* Si pubes sit, potest de bonis castrensibus, & quasi castrensibus etiam sine consensu patris contrahere, & obligari etiam civiliter; nam horum liberam administrationem habet. At non potest de adventitiis, nec de profectitiis disponere sine consensu patris; quia non habet illorum liberam administrationem.

Resp. II. Pupillus pubertati proximus, & minor obligantur tum civiliter, tum naturaliter, si cum consensu tutoris, & curatoris contrahant de bonis mobilibus non pretiosis, ex l. 13. ff. de auctor. & consensu tutor. secus de immobilibus, & mobilibus pretiosis, quæ servando servari possunt: nam hæc validè alienare nequeunt sine decreto iudicis, l. 4. Cod. de prædiis minor. & l. 22. Cod. de administ. tutor. quod si sine consensu tutoris, vel curatoris contrahant de bonis mobilibus non pretiosis, juxta multos obligantur naturaliter, sed non firmiter, quatenus hæc obligatio tolli potest beneficio restitutionis in integrum: ita ut qui aliquid ab illis accepit, non teneatur restituere ante sententiam. Sed alii probabiliter negant eos obligari naturaliter, nisi quatenus facti sunt ditiores: quod probant. 1. Ex *Instit.*

Dd 3

Qui-

Quibus alienare licet: ubi dicitur: neque pupillum, neque pupillam ullam rem sine tutoris auctoritate alienare posse... nec debitum solvere sine auctoritate tutoris posse; quia id quod solvunt, non fit accipientis: cum scilicet nullius rei alienatio eis sine tutoris auctoritate concessa sit. & ex l. II. ff. de acquir. rer. dom. ibi: Pupillum quantum ad acquirendum non indiget tutoris auctoritate: alienare verò nullam rem potest nisi presente tutore auctore. Quoties autem contractus à legibus simpliciter irritantur sine expressa limitatione ad forum externum, intelligi debent irritari etiam in foro conscientie, ideòque nullam parere obligationem. 2. Quia ad validè contrahendum etiam in foro conscientie requiritur libera bonorum administratio, qua carent pupilli, & minores. Jam verò leges illas, quæ dicunt pupillum, sine auctoritate tutoris obligari, intelligi debent de pupillo, qui factus est ditior ex contractu.

Resp. III. Ex communi, pupillus pubertati proximus sine auctoritate tutoris validè contrahit cum majore in suum commodum, non autem in suum incommodum, ex Instit. de auct. tutor. quod jura statuerunt in favorem ætatis illius, ut scilicet minoribus ætas in damnis subveniret, & in prosperè gestis non obesset. Hinc si pupillus sine auctoritate tutoris aliquid emerit, non potest venditor pupillum compellere ad dandum pretium: si tamen velit pupillus stare contractui, cogere potest vendi-

venditorem actione civili ad tradendam mercem pro pretio constituto. Sed si venditor pupillo mercem tradidit non accepto pretio, potest reperere mercem suam, & pupillus tenetur in conscientia eam restituere, nam nemo licite locupletari potest cum alterius injuria, vel jactura, ex reg. Jur. 48. in 6. quod si dolo vel culpa pupilli res tradita perierit, eam solvere cogitur, l. 1. ff. de pos.

Quæ autem dicta sunt de pupillo, eadem dicta intelligantur de minore contrahente sine consensu curatoris sui: nam curator non minus datur rebus minorum administrandis, quam tutor rebus pupillorum: unde minor habens curatorem pupillo quoad bona, & contractus æquiparatur.

Q. 4. An Pupillus, vel minor tenetur solvere pecuniam, quam sine consensu tutoris, vel curatoris mutuam accepit?

Resp. Tenetur, si eam in usus necessarios, vel utiles impenderit, ex l. 1. ff. de aucto. & consensu tutor. ibi: naturaliter obligabitur, in quantum locupletior factus est. Ex pecunia autem in tales usus consumpra factus est ditior, nam tantumdem suis rebus pepercit. Et verò iniquum est, quemquam locupletari cum damno alterius maxime bona fide mutuantis. At non tenetur si eam in usus inutiles consumpserit: quia leges nolunt eum ullo modo obligari,

ne ejus bona inutiliter consumantur, ex l. cit. & l. 9. ff. de oblig. & act. ibi: *Pupillus mutuam pecuniam accipiendo, nequidem jure naturali obligatur.* Excipe nisi mutuans bona fide putaverit pupillum eam pecuniam impendere vel in suam utilitatem; nam tunc naturalis æquitas solutionem exigit: nec lex intendit privare debito alterum bona fide procedentem, & gratificari volentem.

PARS II.

De Contractibus in specie.

CAPUT PRIMUM.

De Promissione.

Q. I. *Quid est promissio?*

Resp. **Q**uid est promissio? Est actus voluntatis exterius expressus, (nam de promissione facta homini hinc agitur) quo quis se obligat alteri ad aliquid: sive est deliberata fidei obligatio facta alteri de re aliqua licita, & possibili. Duplex est, nempe onerosa, qua onus alteri vicissim imponitur, unde pertinet ad alios contractus; & gratuita, qua nullum onus alteri imponitur. Si promissio fiat certâ verborum formulâ, qua unus rogat, & alter promittit, dicitur stipulatio: